



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,  
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice  
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio  
Tridentino factæ continente

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1679**

§. 1. De Virtutibus moralibus in genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

entis, & Deus super omnia amabilis sufficienter propositus est. Item si ingruenti gravi tentatione foret periculum, ne in odium Dei quis labatur, nisi contrarium actum caritatis eliciat.

IV. Q. 4. *Quis fructus ex hac de Virtutibus Theologica materia à Theologo hauriendus sit?* Resp. duplicem præcipue hauriendum esse. Primus est, ut agnoscat beneficentiam Vocationis ad Christianam Religionem, per quam ipsi occasio ad præstantissimas has virtutes participandas est facta, ideoque per dignam cooperationem gratum se exhibere, diuersasque Virtutes conservare studeat. Secundus est, ut, cum sine cognitione, desiderio, & amore boni cuiuspiam vinculum non possit, ad Deum potiùs velut præstantissimum bonum, imò fontem omnis boni cognoscendum, desiderandum, & amandum per triplicem hanc Virtutem se convertat, semperque meminerit noti proverbii: Dulcius ex ipso fonte manant aquæ.

ARTICULUS II.

De Virtutibus Moralibus.

De his partim Ascetæ & Ethici, partim Theologi moralibus agunt, utpote quæ magis ad praxin, quàm speculationem ordinantur; quare Theologi Scholastici plerumque solam Justitiam, quæ plerasque quidem materias præcipuas, non paucas tamen multùm controversas, atque ad Scholastica discussionem dignas continet, pertractandum præsumunt. Unde breviter hæc tota materia expeditur, prædicabitur magis, quàm explicabitur.

§. I.

De Virtutibus moralibus in genere.

I. Q. 1. *Quid sit Virtus moralis?* Resp. esse virtutem naturalem ad dirigendos hominum mores seu actus humanos ordinatam; cum enim *mos* ex propria sua institutione ordinem actibus introductam significet, homines autem inter se per actus humanos tanquam sibi proprios agere consueverint, merito nomen *morum* iisdem attribuitur à Theo-

Theologis. Alii tamen Virtutem moralem brevius enunciant esse, quæ circa bonum morale sive honestum versatur.

II. Q. 2. Quot sint Virtutes morales? Resp. quot præcipuè numerari, Prudentiam scilicet, Justitiam, Fortitudinem, Temperantiam; cujus numeri ratio hæc reddenda. Vel enim virtus circa morale bonum versans hominem instituit ad seipsum, vel ad alterum; si prius, tribus virtutibus indiget, scilicet Prudentiâ, quæ agnoscat, quid sit, quid rectam rationem agendum sit; Temperantiâ, quæ moderaretur affectiones Naturæ concupiscentis; & Fortitudinè, quæ compescere possit passiones irascentis; Si posterius, sola Justitiâ indiget, utpote quæ plures habitus sub se comprehendat, qui hominem cum aliis bene componant.

III. Q. 3. Quare Virtutes hæc Cardinales seu Principales vocentur? Resp. ideo eas sic appellari, quia Cardines humanæ vitæ instituendæ in his quasi cardinibus quiescere solent, & ab harum principiis omnes reliquæ virtutes emanant, ideoque ad eas vel tanquam partes subjectas spectant, vel tanquam partes integrantes; vel denique ut partes virtutis morales, in quibus inæquate saltem mensura virtutis moralis appareat, revocantur.

## §. II.

## De Prudentiæ Virtute.

I. Q. 1. Quid de Prudentiâ præcipuè sciendum sit? Respondeo sequentes ferè à S. Thoma & Theologis de ea quaestiones præcipuas. 1. Quid sit. 2. Quinam sint actus illius præcipui. 3. Quotuplex sit. 4. Quomodo se ad reliquas Virtutes habeat. 5. Quod sit subjectum illius. 6. Quæ vitia illi opponantur. 7. Quæ media adhibenda sint ad eam accipiendam. Ad quas quaestiones hoc loco breviter respondebo.

II. Q. 2. Quid sit Prudentiâ? Resp. breviter à S. Thoma nullis eam definiiri rectam agendorum rationem, quæ in quovis negotio occurrente, quid agendum, vel occurrendum sit, cognoscimus. Unde rectè notant aliqui, eam non ferre ab aliis virtutibus moralibus per hoc, quod licet quoque cum recta ratione eliciantur, non tamen hinc